

**AGRÉGATION
CONCOURS EXTERNE**

Section : LETTRES CLASSIQUES

VERSION LATINE

REVE D'UN BONHEUR RUSTIQUE

laurus ubi bona signa dedit, gaudete coloni ;
distendet spicis horrea plena Ceres,
oblitus et musto feriet pede rusticus uuas,
dolia dum magni deficiantque lacus :
ac madidus baccho sua festa Palilia pastor
concinet : a stabulis tunc procul este lupi.
ille leuis stipulae sollemniss potus aceruos
accendet, flamas transilietque sacras.
et fetus matrona dabit, natusque parenti
oscula comprensis auribus eripiet,
nec taedebit auum paruo aduigilare nepoti
balbaque cum puero dicere uerba senem.
tunc operata deo pubes discumbet in herba,
arboris antiquae qua leuis umbra cadit,
aut e ueste sua tendent umbracula sertis
uincta, coronatus stabit et ipse calix.
at sibi quisque dapes et festas extruet alte
caespitibus mensas caespitibusque torum.
ingeret hic potus iuuenis maledicta puellae,
postmodo quae uotis irrita facta uelit :
nam ferus ille suae plorabit sobrius idem
et se iurabit mente fuisse mala.
pace tua pereant arcus pereantque sagittae,
Phoebe, modo in terris erret inermis Amor.
ars bona : sed postquam sumpsit sibi tela Cupido,
heu heu quam multis ars dedit ista malum !
et mihi praecipue, iaceo cum saucius annum

et (faueo morbo cum iuuat ipse dolor)
usque cano Nemesim, sine qua uersus mihi nullus
uerba potest iustos aut reperire pedes.

TIBULLE, *Elégies*, II, V, -83112